Quelle: https://manuscripta.at/?ID=29365
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

Et ideo in divisione terre septe tribubus que non acceperat hereditatem ut habetur Iosue xix Alique civitates de sorte iude fuerunt assignate filiis Symeon et alique filiis Dan Alia causa fuit quia filii iuda licet essent plures quam filii Symeon ut dictum est, tamen erant tot quot possent sufficienter populare terram sibi assignatam et sors Symeonis pro maiori parte erat occupata adhuc ab adversariis ita quod non habebant locum sufficientem, ideo filii iuda receperunt eos in aliquibus locis suis preter dictas civitates eis assignatas per Iosue voluntarie et ad tempus ut infra videbitur ne crescerent bestie contra eos si terra eorum pro parte remaneret inhabitata et sic fratres sui filii Symeon haberent locum et ut mutuo se iuvarent contra adversarios utriusque tribus ut habetur Iudicum primo. Unde subditur Habitaverunt autem in Bersabee et ceteris que erant de iude subditur Hee civitates eorum usque ad David regem filii enim Symeon propter longam inhabitationem civitates eis tradite ad tempus ut dictum est postea voluerunt reddere

filiis iuda quia multiplicati sunt sufficienter ad populandum sortem suam propter quod tempore Saul sciscitaverunt de hoc querimoniam sed ipse neglexit eis facere iusticiam, sed David qui erat de tribu iuda, et io obtinuit regnum post Saul eiecit filios Symeon de civitatibus eis concessis ad tempus a filiis iuda, modo supradicto non autem de illis que fuerant eis assignate per Iosue Ex quo patet quod prescriptio non valet si non fuit iustus titulus Sciendum tamen quod Iosue xix inter civitates eis assignatas per sortem a Iosue nominantur et accommodate seu ad tempus concesse quia iste hic posite ponuntur saltem pro maiori parte Alii qui autem expositores nostri aliter exponunt quod dicitur hic usque ad regem David quod hoc dicitur specialiter propter civitatem Sicelech quam recuperavit David ex tunc facta est regni iuda ut habetur primo Regum xxvii° Sed hoc non valet quia hic dicitur quod civitates iste fuerunt filiorum Symeon usque ad regem David David autem non accepit Sicelech de manu filiorum Symeon sed magis ex concessione Achis regis Geth